Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36489
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

memoria digna dereliquit. Xpianus pontifex apulorum, uir clarus c.x
scientia et sanctitate contra eandem heresim disseruit inuictissime.
Hermannus contractus sweuigena philosophus in computatione subtilissimus c.xi.
extitit. qui et librum compoti regulis scripsit. Scripsit et metrice librum
qui inscribitur de conflictu ouis et lini. scripsit etiam metrice alium in modum Theo-
doli. scripsit et tercium metrice de contemptu mundi. In musica sane pene mo-
dernis omnibus subtilior extitit. et cantilenas plurimas de musica
cantuque satis auctorabiles de sanctis scilicet edidit. Cronica quoque et gesta Con-
radi et heinrici composuit. in quibus omnibus uir ille satis enituit.
Berhtoldus eiusdem auditor et discipulus extitit. uitam magistri et cronica c.xii.
scribit. Folbertus carnotensis episcopus eruditionum preceptor quoque berngarii c.xiii.
cuius superius mentionem fecimus. scribit inter alia tractatum contra iudeos et malos xpianos
scribit uitam sancti egidii. scribit et sermonem de natiuitate S. Marie matris
domini. Burchardus wormaciensis episcopus scribit collectiones utillimas c.xiiii
de canonibus. Iuo carnotensis episcopus scribit inter alia non nulla excerpta c.xv.
de canonibus; scribit plurimas ad diuersos epistolas. scribit martyrologium
de sanctis scribit sententias de diuinis officiis. Anshelmus cantwariensis c.xvi.
archiepiscopus scientia et moribus decenter ornatus adhuc beccensi monasterio
presidens. scribit epistolam fratri mauricio de fratre fugitiuo. in qua questionem aliam
addidit et enodauit. uidelicet qualiter malum nichil dicatur et sit. cum tamen uideatur
esse aliquid. Opus etiam aliud edidit quod secundum materiam de qua editum est cur deus homo
nominauit et in duos libellos distinxit. Tres tractatus pertinentes ad studium
sacre scripture diuersis fecit temporibus consimiles in hoc quod facti sunt per interrogationem
et responsionem et persona interrogantis nomine discipuli. respondentis uero notatur
nomine magistri. Unus horum tractatus est de ueritate quid scilicet sit ueritas et in quibus rebus soleat
dici et quid sit iusticia. Alius uero est de libertate arbitrii quid sit. et utrum eam semper habeat
homo et quot sint eius diuersitates in habendo uel non habendo rectitudinem uoluntatis
ad quam seruandam data est creature rationali. Tercius autem est de questione qua queritur quid pec-
cauit diabolus quia non stetit in ueritate cum deus non dederit ei perseuerantiam. quam non
eo dante habere non potuit. quam si deus dedisset ille habuisset sicut boni angeli
illam habuerunt. quia deus illis dedit. Quem tractatum quamuis ibi de confirmatione
bonorum angelorum dixerit. de casu diaboli titulauit. quoniam illud contingens fuit